

3 Urbanitati in defectu opponitur Rusticitas, qua homo in jocis dicendis & audiendis deflectit ad parum.

SCHOL. Græcè dicitur ἀγροικία, item ἀγριότης, quum quis nec ipse aptè jocari, nec aliorum sales & jocos æquo animo ferre potest, qualis fertur fuisse Euripides tragicorum princeps, qui naturâ tristior & severior fuisse scribitur, unde μισογέλας dictus est, ut autor est A. Gellius lib. 15. cap. 20. Sunt tamen qui scribunt, ipsum in fabulis tantum hunc animum præ se tulisse. Est igitur hoc vitium morositati sive austeritati proximum.

~~~~~

Cap. XVI. De Mansuetudine.

Virtus conversationis partim ad nos, partim ad alios pertinens, spectat primò vel affectum vel gestum; deinde vel sermonem vel pudorem.

2 Quæ spectat affectum, est duplex: Mansuetudo & Philesychia, sive studium tranquillitatis.

3 Mansuetudo est virtus, quæ mediocritatem tenet in irascendo, & vindicando.

SCHOL. Dicitur Græcè μεσότης lib. 4. ethic. Nicomach. cap. 15. ubi definitur μεσότης περὶ ὀργῆς. Objectum igitur est ira, quæ definitur à Cicerone libido puniendi jure eum, qui videtur læsisse injuriâ. Versatur igitur mansuetudo non solum circa iram moderandam, ne in furorem abeat, sed etiam circa ipsam vindictam, quæ græcis est ἐπιδικησις, πτωγία. Hic teneatur illud: Irascimini, sed nolite peccare, Psal. 4. v. 5. & Ephes. 4. v. 26.

4 Mansuetudinis species duæ sunt: Lenitas & Clementia.